Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26564
Copyright: Admont, Benediktinerstift

posterius docebimus. Cui et uirgini euangeli-
zans dixit. Aue gratia plena dominus tecum. Hec autem
in sermone turbata dixit ad ipsam angelus
Ne timeas maria inuenisti gratiam apud dominum. et
paries filium et uocabis nomen eius ihesus. Ipse enim
saluabit populum suum a peccatis eorum. Unde ihesus
saluator interpretatur. Dubitante autem. quomodo
michi erit hoc. quoniam uirum non cognosco. tunc
dixit ad illam angelus. Spiritus sanctus superueniet in te.
et uirtus altissimi obumbrabit tibi. Unde quod nas-
cetur sanctum uocabitur filius dei. Hec autem respondit
ad ipsum. Ecce ancilla domini fiat mihi secundum uerbum tuum.
Per optationem autem sancte uirginis spiritus sanctus preue-
nit in ipsam. secundum uerbum domini. quod dixit an-
gelus. purgans ipsam et potentiam deitatis uer-
bi receptiuam simul autem et generatiuam preparans.
et tunc obumbrauit ipsam dei altissimi per se sapi-
entia et uirtus idest filius dei patri omousiosa
consubstantialis sicut diuinum semen. et copulauit
sibi ipsi ex sanctissimis et purissimis ipsius sangui-
nibus carnem animatam anima rationali et intel-
lectiua. que fuit a principio nostre conspersionis.